

conspectum ejus sine macula immaculata appare- rem ! Nam quomodo in hac deformitate placere illi potero, quæ et mihi quoque in illa vehementer displiceo ? O maculæ veteres, o maculæ fœdæ et turpes, quid tandiu hæretis ? Abite, discedite, et ne præsumatis amplius oculos dilecti mei offendere. Nolite fallere vosmetipsas, non semper mecum (ipso adjuvante) manebitis, quamvis me adhuc pigritante exterminari non potuistis. Ego juravi super vobis quod nec tenebo, nec diligam vos amplius, quia omnino detestor et prorsus abominor turpitudinem vestram. Jamque deinceps, etiamsi possem a Sponso meo non videri, nollem tamen a vobis infici. Quanto magis nunc quia palam ipso sum, et quia plus certe me contristat ejus offensio, quam mea etiam turpitudine. Recedite ergo, in vanum amplius mihi adhæretis, quia, etiam mecum manentes, meæ non estis. Alienas vos a sorte mea judico, et vobiscum deinceps nullam communionem habere volo. Habeo aliud exemplar cui conformari cupio, et ad aliud jugiter respicio, ac quantum possum magis semper ac magis exinde similitudinem traho. Ex quo hoc etiam didici, quod vos exterminare debeo, et qualiter hoc faciam jam agnosco.

HOMO. Mira res nobiscum agitur, quam ideo fortassis non minaris, quia necdum quid dicere velim intelligis. Considero namque qualiter a principio nostri sermonis multa quæ adversari videbantur dilectioni in medium adduxeris, et quod ex eis semper non infirmata, sed amplius probata sit virtus dilectionis. Dixisti dilectionem singularem pariter et communem esse non posse, sed inde comprobata est amplius mirabilis, quod demonstrata est communis esse et singularis. Dixisti rursum te perfecte non diligi, eo quod ad cultum electam audieras, et adhuc ad thalamum assumptam non vidisti. Sed tamen iterum ostenditur tanto major erga te dilectio, quanto major per ejus patientiam tua exspectatur perfectio. Ad extremum modo dubitare cœpisti, an, in hac deformitate tua quam (licet invita) pateris, ab illo posses diligi. Sed quando hoc dubitasti, olim te totam fœdam et tamen dilectam fuisse jam non meministi. Si ergo te nunc diligere dignatus est, quando tota turpis, et nihil adhuc decoris habens fuisti, quanto magis nunc diliget te, quando decorari, et priscam turpitudinem deponere jam cœpisti ? Nam et hoc quoque ad laudem dilectionis ejus pertinet, quod imperfectam diligere dignatur. Et quamvis quæ-

dam adhuc in te videat, quæ sibi non placent, diligit tamen hoc ipsum, quod tu quoque ea in temetipsa jam odisse cœpisti quæ illi displicent. Non enim tam statum quam propositum respicit, nec quid sis, sed quid esse velis, attendit, si tamen tu quantum potes satagis, ut quod adhuc esse non cœpisti, esse merearis.

ANIMA. Hoc ultimum interrogationis meæ benigne, ut suspicias, quæso, quid est illud dulce, quod in ejus recordatione aliquando me tangere solet, et tam vehementer atque suaviter afficere, ut jam tota quodammodo a memetipsa abalienari, et nescio quo abstrahi incipiam. Subito enim innovor et tota immutor, et bene mihi esse incipit ultra quam dicere sufficiam. Exhilaratur conscientia, in oblivionem venit omnis præteritorum dolorum miseria, exultat animus, clarescit intellectus, cor illuminatur, desideria jucundantur, jamque alibi (nescio ubi) me esse video, et quasi quiddam amplexibus amoris intus teneo, et nescio quid illud sit, et tamen illud semper retinere, et nunquam perdere toto adnisi laboro. Luctatur quodammodo delectabiliter animus, ne recedat ab eo, quod semper amplecti desiderat, et quasi in illo omnium desideriorum finem invenerit summe et ineffabiliter exultat, nihil amplius quærens, nihil ultra appetens, semper sic esse volens. Nunquid ille est dilectus meus ? Quæso, dic mihi, ut sciam an ille est, ut si denuo ad me venerit, obsecrem eum ne recedat, sed semper permaneat.

HOMO. Vere ille est dilectus tuus qui visitat te, sed venit invisibilis, venit occultus, venit incomprehensibilis. Venit ut tangat te, non ut videatur a te ; venit ut admoneat te, non ut comprehendatur a te ; venit non ut totum infundat se, sed ut gustandum præbeat se ; non ut impleat desiderium, sed ut trahat affectum ; primitias quasdam porrigit suæ dilectionis, non plenitudinem exhibet perfectæ sapientatis. Et hoc est quod maxime ad artham desponsationis tuæ pertinet, quod ille, qui in futuro se tibi videndum, et perpetuo possidendum dabit, nunc aliquando (utquam dulcis sit agnoscas) se tibi ad gustandum præbet. Simul etiam interim de absentia ejus consoleris, quando ejus visitatione ne deficias incessanter reficeris. Quæso, anima mea, multa jam diximus, post hæc omnia unum agnosce, unum dilige, unum sequere, unum apprehende, unum posside.

ANIMA. Hoc opto, hoc desidero, hoc totis præcordiis concupisco.

DE LAUDE CHARITATIS

PROLOGUS.

Servo Christi Petro, H., *gustare et videre quoniam suavis est Dominus ! (Psal. xxxiii.)*

Cogitanti mihi, frater charissime, quomodo dilectionem vestram ad memoriam mei excitare possem, primum occurrit, ut de ipsa vobis dilectione scribe-

rem, qui nihil aliud præter ipsius dilectionis munus a vobis postularem. Quod ergo potui feci, charitatem quibus valui verbis commendavi, quatenus dum ejus laudem legitis, quam ardentem ego eam et in vobis diligo, et a vobis expeto, scire valeatis. Nec irasci ipsa vestra charitas mihi debet, si ejus igni jam fortiter ardenti exiguum verborum meorum flatum tepidus ipse admoveo, non tam ut illa magis ardeat, quam ut mei erga se desiderii conanem agnoscat. Legite ergo atque diligite, et quod propter dilectionem legitis, ad hoc legite ut diligatis: totum ex dilectione fit, dilectio mittit, dilectio suscipit, dilectio est quod tribuitur, dilectio quod recompensatur.

DE LAUDE CHARITATIS.

Tam multos jam laudatores charitas habuisse cognoscitur, ut si quid ego in laudem ejus dicere cœpero, præsumptio fortassis magis quam devotio videatur. Quis enim sanctorum a principio mundi exstitit, qui non charitatem nobis aut verbo, aut facto commendavit? Charitas Abel martyrem fecit, (*Gen. iv*), charitas Abraham de terra sua eduxit (*Gen. xii*), quia et ille per charitatem innocenter mortem pertulit, et iste per charitatem natale solum libenter deseruit, uterque per charitatem terra cœlum commutavit. Charitas sola est quæ ab initio servis Dei mundi hujus illecebras fugere, voluptates calcare, carnis concupiscentiam cohibere, desideria frangere, honores contemnere, postremo universa præsentis vitæ blandimenta respuere, ipsam quoque pro desiderio vitæ perpetuæ mortem suadet non timere. Hanc vim dilectionis Paulus senserat, cum dicebat: *Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Spero autem, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro* (*Rom. viii*). Hinc sponsus in Canticis canticorum sponsam de virtute dilectionis admonet, dicens: *Pone me ut signaculum super cor tuum, pone me ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio* (*Cant. viii*). Mors etenim viventes exstinguit, infernus autem nec mortuis parcat. Dilectio autem ut mors fortis est, quia sicut illa sensum carnis, sic ista affectum concupiscentiæ carnalis perimit. Dura est sicut infernus æmulatio, quia eos, quos intus trahit desiderium æternorum, non solum foris blanda respuere, sed et adversa quæque et aspera pro eo quod diligunt adipiscendo, cogit tolerare. Consideremus quot jam martyres per tormenta ad regnum cœlorum transierunt. Qualem ergo in eis vim amoris arsisse credimus, quos propter Deum nec sibi pepercisse videmus! Consideremus quid dimiserint, quid secuti sint, qua transierint. Quid dimiserint videmus, quid secuti sint non videmus sed credimus, qua transierint audivimus. Bona ista temporalia dimiserunt, bona æterna secuti

sunt, per tormenta transierunt? Conveniamus nunc cor nostrum, et videamus si acquiescat nobis omnia quæ hujus mundi sunt, relinquere, non gloriam, non honorem, non divitias amare, non arridere, prosperis non condelectari blandis, non congratulari lætis. *Domine, imperfectum meum viderunt oculi tui* (*Psal. cxxxviii*). Quam longe ab hac non dicam perfectione, sed perfectionis inchoatione me video! Et certe parum hoc erat amicis Dei, ut pro amore æternorum ista spernerent, ista calcarent, sed abjectis his omnibus alacriter ad votum currentes, nec minis teneri poterant, nec tormentis. Trahebat eos charitas, et ideo nec retrahebat cupiditas, nec terrebat adversitas. Currebant ergo, mundum post se reliquerant, Deum ante se habebant. Sed interposita sunt tormenta ut interrogarentur, vel quo desiderio hunc quærerent, vel qua constantia illum despexissent. Interrogata est veritas, probata charitas, confusa iniquitas. Accedunt illi ad pœnas intrepidi, et quantum mentem amor intus vulneraverat, tantum caro foris vulnera sua despeciebat. Accedunt, et transeunt, atque morientes confessi sunt, quo viventes desiderio currerunt. O charitas, quomodo illis sapiebas, quam dulcis eis fuisti, quas tanta propter te sustinere coegisti! Quibus illos ad te vinculis traxisti, quos mundo et per blandimenta retrahente, et per tormenta repellente, perdere tamen non potuisti. Concurrerunt, quia tu eos traxisti; transierunt, quia tu eos juvisti; pervenerunt, quia tu eos suscepisti. Quam inexstinguibiliter in præcordiis eorum arsisisti, quia nec probris, nec præmiis, nec pœnis obrui potuisti. Ista quasi quædam flumina inundaverunt, sed multa flumina, et aquæ multæ charitatem exstinguere non potuerunt. O charitas quid dicam de te? quomodo laudabo te? Si saperem te, appreciarem te; si scirem quanti vales, pretium appenderem pro te. Sed forte excedis angustias meas, nec invenire tuum pretium potero penes me. Dabo tamen quod habeo, et totum quod habeo dabo, totam domus meæ substantiam pro te commutabo. Totum quod est in habitaculo corporis mei, totum quod est in habitaculo cordis mei pro te dabo, cum totum dederò totum quasi nihilum reputabo. Omnes delectationes carnis meæ, omnes jucunditates cordis mei pro te libenter impendam, ut te solam habere, te solam possidere valeam. Tu sola mihi meis omnibus charior, tu sola mihi utilior, tu sola suavior, tu sola jucundior, amplius delectans, abundantius satians, tutius salvans, feliciter conservans. Aliis etiam annuntiabo de te. Dic mihi, o cor humanum, utrum magis eligis, semper gaudere cum hoc sæculo, an esse semper cum Deo? Quod plus diligis, hoc potius eligis. Audi ergo, ut aut corrigas dilectionem, aut non differas electionem. Si mundus iste pulcher est, qualis putas est pulchritudo ubi Creator mundi est? Dilige ergo ut eligas, dilige melius ut eligas salubrius. Dilige Deum, ut eligas esse cum Deo, ergo per dilectionem eligis. Sed quo plus diligis, eo citius pervenire cupis, et festinas ut apprehendas, ergo

per dilectionem curris, et per dilectionem apprehendis. Item quo plus diligis, eo avidius amplexaris, ergo per dilectionem frueris. Vide quomodo totum tibi est dilectio, ipsa est electio, ipsa est cursus, ipsa est perventio, ipsa est mansio, ipsa est beatitudo. Dilige ergo Deum, elige Deum, cur-re, apprehende, posside, frueri. Jam, inquis, ele-gi, qua via curram ut perveniam? Per viam Dei curritur ad Deum. Non possum, inquis, viam inexpertam solus currere; da socios ne aberrem. Cum iis, qui in via Dei currunt, curre et tu viam Dei, meliores socios habere non potes in via quam illos, qui jam olim cucurrerunt in ea, et per lon-gam currendi experientiam et usum laboris nec errare timēt nec deficere. Quæ est ergo, ais, via Dei, et qui sunt currentes in ea? Rectæ sunt viæ Domini, et justi ambulabunt in eis. Justitia est ergo via, et justi sunt qui in via currunt. Et ne forte moveat te quod ambulantes nomino, et iterum currentes dico, velociter ambulare ipsum est cur-rere. Sicut ille faciebat, qui dixit: *Viam mandatorum tuorum cucurri* (Psal. cxviii). Et alibi: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini* (ibid.); ut idem intelligas ambulare et currere, ne beatiorem beatis se diceret, si illis ambulanti-bus ipse cucurisset. Habes ergo viam, habes socios in via, habes hæreditatem in patria, habes qua per-gas, cum quibus pergas, ubi requiescas. Qua pergas, justitiam. Cum quibus pergas, aman-tes et sectantes justitiam. Quo pervenias, et in quo requiescas, et auctorem justitiæ, et fontem vitæ. Nulla via justitia rector, nulla societas jus-torum societate melior, nulla requies Deo tranquil-lior. Perge securus, perge festinus, ut velociter pervenias, feliciter requiescas: cito pergere est ardentem amare. Vide ergo quomodo totum bo-num tuum ex charitate pendet. Per charitatem viam eligis, per charitatem viam curris, per chari-tatem ad patriam pervenis. Vis scire, quod non nisi per charitatem viam justitiæ eligis? *Si quis*, inquit Dominus, *diligit me, sermones meos serva-bit* (Joan. xiv); de ipso autem sermone alibi dici-tur: *Sermo tuus veritas est* (Joan. xvii); de qua iterum Psalmista: *Viam, inquit, veritatis elegi, ju-dicia tua non sum oblitus* (Psal. cxviii). Si ergo sermo Domini veritas est, per illam utique chari-tatem via veritatis eligitur, per quam sermo Do-mini impletur. Ergo charitas eligit viam justitiæ. Sed nunquid sine charitate via justitiæ non eligitur, et sine charitate curritur? Audi idem ipsum Psal-mistæ (quod superius commemoravi) testimonium, quo dicit: *Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilatasti cor meum* (ibid.). Quid est enim cor dilatatum, nisi cor amore fervens, cor a charitate impletum? Per charitatem igitur cor dilatatur, cor-de dilatato via justitiæ curritur. Per charitatem itaque eligis, per charitatem curris, per charitatem apprehendis et frueris. *Deus*, inquit Joannes apo-stolus, *charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. Qui igitur charitatem habet, Deum habet, Deum possidet, in Deo ma-*

A *net* (I Joan. iv). O bona charitas, per quam Deum diligimus, Deum eligimus, ad Deum curramus, ad Deum pervenimus, Deum possidemus. Quid am-plius dicam de te, charitas? ducem te dixi in via Dei. Et quid si teipsam viam Dei dixerim? utique sic charitas tu via es. Sed non sicut aliæ viæ tu via es: *Adhuc*, inquit Paulus apostolus, *excellen-tiorem viam vobis demonstrabo* (I Cor. xii); de te enim dixit, o charitas: Tu es namque via superex-cellens, via supereminens, vias distortas dirigens, vias rectas ostendens. Tu es caput viarum recta-rum, omnes viæ rectæ a te exeunt et in te recur-runt. Nam præcepta Dei viæ sunt ejus, quæ omnia a te pendent et in te consistunt. Tu es plenitudo justitiæ, perfectio legis, consummatio virtutis, agnitio veritatis. **B** Via igitur es, o charitas. Qualis via? superexcellens, suscipiens, dirigens et perdu-ens. Cujus via? via hominis ad Deum, et via Dei ad homines. O beata via, quæ sola commercium nostræ salutis agnoscis! Tu Deum ad hominem deducis, tu hominem ad Deum dirigis. Ille descen-dit quando ad nos venit; nos ascendimus, quando ad illum imus. Nec ille tamen nec nos nisi per te ad alterutrum transire possumus. Tu mediatrix es, adversos concilians, disjunctos socians, et tantum dispares, quodammodo coæquans. Deum humi-lians, nos sublimans, illum ad ima trahens, nos ad summa erigens. Sic tamen ut nec abjecta, sed pia sit ejus descensio, nec superba, sed gloriosa sit nostri exaltatio; magnam ergo vim habes, charitas, tu sola Deum trahere potuisti de cælo ad terras. **C** O quam forte est vinculum tuum, quo et Deus ligari potuit, et homo ligatus vincula iniquitatis dirupit! Nescio si quid majus in lau-dem tui dicere possim, quam ut Deum de cælo traheres, et hominem de terra ad cælum elevares. Magna virtus tua, ut per te usque ad hoc humiliaretur Deus, et usque ad hoc exaltaretur homo. Considero Deum ex femina natum, infantem, pan-nis obsitum, vagientem in cunis, sugentem ubera. Respicio postea comprehensum, ligatum, flagellis cæsum, spinis coronatum, sputis illitum, lancea-tum, clavis fixum, felle et aceto potatum, illic in-digna, hic dira passum, et tamen cur vel illa di-gnaretur, vel ista pateretur, si causam quærimus, aliam præter solam charitatem non invenimus. **D** O charitas! quantum potes? si tantum invaluisti er-ga Deum, quanto magis erga homines! Si Deus propter hominem tanta pertulit, quid homo pro-pter Deum tolerare recusabit? Sed fortassis faci-lius vicis Deum quam hominem, magis prævalere potes Deo quam homini, quia quo magis beatum, eo magis Deo est debitum a te superari. Hoc opti-me tu noveras, quæ ut facilius vinceres, prius illum superabas; adhuc nos rebelles habuisti, quando illum tibi obedientem de sede paternæ majestatis usque ad infirma nostræ mortalitatis suscipienda descendere coegisti. Adduxisti illum vinculis tuis alligatum, adduxisti illum sagittis tuis vulneratum. Amplius ut puderet hominem tibi resistere, cum te videret etiam in Deum triumphasse. Vulnerasti

impassibilem, ligasti insuperabilem, traxisti incommutabilem, æternum fecisti mortalem. Hæc omnia fecisti, ut dura corda nostra emollires, et insensibiles affectus compungeres, et ut se a torpore suo resolverent, et facilius ea sagittæ tuæ penetrarent. Nec incassum hoc fecisti, multis, enim sic a te superati sunt, multi jam tibi manus dederunt. Multi jam in suis præcordiis sagittas tuas infixas portant, et altius adhuc eas infigi desiderant. Delectabiliter enim et suaviter vulnerati sunt, et plagas tuas se percepisse, nec dolent, nec erubescunt. O charitas! quanta est victoria tua! unum prius vulnerasti, et per illum omnes postmodum superasti. O charitas! laudavi te quantum potui, et multum cogito tecum si quid adhuc sit, quod in laudem tui excellentius possit dici. Nescio enim an forte majus sit te Deum dicere an Deum te superasse. Quod si majus est, etiam hoc libenter et fiducialiter de te dicam: *Deus charitas est, et qui manet in charitate in Deo manet, et Deus in eo* (I Joan. iv). Audi, homo, et ne amplius parum reputes si charitatem habes, audi quod Deus charitas est. Nunquid parum est Deum in se manentem habere? tantum est charitatem possidere, Deus enim charitas est. Hoc privilegium sola charitas habet ut Deus dicatur et sit, ita ut nulli alteri hoc convenire possit. Non enim dicitur: Deus humilitas est, aut: Deus patientia est, sicut dicitur: Deus charitas est, quia cum omnis virtus Dei donum sit, nulla præter solam charitatem hoc habet, ut non solum donum Dei, sed etiam Deus dici possit. Charitas autem ideo donum Dei est, quia Spiritus sanctus a Deo datur fidelibus, ideo autem Deus est, quia idem Spiritus illi, a quo datur consubstantialis est in eadem Deitate, et coæternus. Reliqua igitur gratiarum dona largitur i eis etiam iis, quos reprobat, solam autem charitatem quasi seipsum iis tantum, quos diligit in præmium servat. Charitas igitur est fons proprius, de quo non communicat alienus, quia, sicut dictum est, reliqua dona gratiarum ii etiam, qui per vitam reprobam a Deo alieni sunt, nonnunquam percipiunt. Charitatem autem malus habere non potest, sed quicumque illam habet, non jam alienus est a Deo, sed ipse in Deo, et Deus in eo manet. Sic familiaris est Deo, charitas, ut ipse mansionem habere nolit, ubi charitas non fuerit. *Si quis, inquit, diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum et ad eum venimus, et mansionem apud eum faciemus* (Joan. xiv). Si ergo charitas tecum est, venit Deus ad te, et manet apud te; si tu recedis a charitate, recedit et ipse a te, et non permanet apud te. Si charitatem nunquam habuisti, nunquam venit Deus ad te, nec mansit apud te. Si charitatem cœptam deseruisti, recessit Deus a te. Si in charitate cœpta permansisti, Deus tecum est, et permanet apud te.

A Charitas omnem animæ languorem sanat, charitas vitiorum omnium radices extirpat, charitas omnium virtutum origo est. Charitas mentem illuminat, conscientiam mundat, animam lætificat, Deum demonstrat. Animam, in qua charitas habitat, superbia non inflat, invidia non devastat, ira non dissipat, tristitia mala non vexat, avaritia non excæcat, gula non inflammat, luxuria non inquinat; semper munda est, semper casta est, semper quieta, semper læta, semper pacifica, semper benigna, semper modesta, in adversis securam, in prosperis temperata, mundum contemnens, Deum diligens, omnium bona amando sua faciens, sua omnibus libenter impertiens, non timens inopiam, non magnopere expetens abundantiam.

B In quo charitas Dei est, semper cogitat quando ad Deum perveniat, quando mundum relinquat, quando scandala evadat, quando veram pacem inveniat. Semper cor sursum habet, et desiderium in superna elevatum. Si quando ambulat, si quando sedet, si quando agit, si quando quiescit, quidquid egerit, cor a Deo non recedit. Tacens Deum cogitat, loquens nil præter Deum, et quod ad Dei amorem pertinet, loqui desiderat. Alios ad charitatem exhortando, seipsum inflammat, charitatem omnibus commendat: quam dulcis amor Dei, quam amarus et quam impurus sit amor hujus sæculi non solum voce, sed opere quoque omnibus demonstrat. Deridet hujus mundi gloriam, sollicitudinem arguit, et quam stultum sit in iis quæ transeunt fiduciam habere, ostendit.

C Miratur cæcitatem hominum, qui hæc diligunt, miratur quomodo jamdudum universa hæc transitoria et caduca omnes non contemnunt. Omnibus existimat dulce esse quod sibi sapit, omnibus placere quod diligit, omnibus manifestum quod cognoscit. Istis indiciis charitas se prodit, et eos, in quibus habitat, non solum intrinsecus voluntate, sed et foris conversatione discernit. Hoc jam tantum de charitate dictum est, et tamen adhuc de charitate dici potest, et tantum dicendum est, quantum dici non potest. Quid igitur, o bona charitas, o chara charitas, quid dignum dicam laudibus tuis? Certe post tanta priorum præconia nihil de te dicere mea parvitas præsumeret. si unquam de te dici satis potuisset. Illabere igitur nobis, o dulcis et suavis charitas, dilata cor nostrum, expande desiderium, distende mentis nostræ sinum, amplifica cordis nostri habitaculum, ut capere possit hospitem et mansorem Deum. Infundat et diffundat te in cordibus nostris per Spiritum sanctum suum Redemptor noster unicus et Salvator Jesus Christus Filius Dei, ut ipse cum Patre ad nos venire digentur, et mansionem in nobis facere. Qui cum eodem Patre, et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.